



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. VIII. Quomodo probandi sint confines, seu limites locorum?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

ritus V. G. cum hujus juramentum semiplenam tantum faciat probationem, illius autem juramentum cum testimonio mulierum plene probet, nisi tale Mulierum testimonium per alias æque bonæ qualitatis Mulieres fuerit reprobatum. c. *Causam* 14. h. t.

§. VII.

De probatione, sive modo probandi filiationem.

Difficilis probationis est filiatio, & plerumque pro parte patris ex præsumptionibus tantum desumitur; talis autem præsumptio est, primò si quis natus sit ex conjugatis in una domo cohabitantibus (etiam si constet, quòd eodem tempore cum aliò etiam viro adulterij consuetudinem habuerit uxor) pro legitimitate in favorem filij, & Matrimonij præsumente jure, ita ut hæc præsumptio etiam ad illum casum extendatur, quo uxor extra domum quidem Mariti habitavit, hic tamen sæpius ad illam accesserit, vel si nata fuit proles ex concubina, quam quis domi habuit, quo in casu illegitimus quidem filius habebitur, ex hoc tamen Patre genitus præsumetur, præsertim si patrem hujus confessa fuit Concubina, & filium agnoverit Concubinarius, juxta c. *Per tuas* 10. h. t. Hinc secundò præsumitur quis filius esse horum, vel hujus parentis, si ab his vel horum aliquo filius appellatus sit, & ab eis ut filius habitus, tractatus, & educatus sit, tam enim constituitur in quasi possessione filiationis, ut verè filius horum, aut hujus præsumatur, donèc contrarium probetur, ut ait *Glossa in cit. c. Per tuas* 17. *Nominato*; Et quamvis hæc ipsa *Glossa* rectè notet, solam nominationem

filij non facere aliquem filium, quòd filiatio à natura provenit, si tamen nominatione tali ea concurrant, quòd non faciliè nisi filio à Patre exhibentæ paternam illi curam adhibendo, nominando eum in judicio, in instrumento publico &c. filium surum, annotando natiuitatis diem inter alios liberos de factis probant filiationis quasi possessionem, ita ut huic non obstit, etiam si pro modum à Patre v. g. repudietur, rejiciatur, ac negetur esse suus filius, quia jus acquisitum filio ab eo, si factò aufferri non potest, & nimis dignum est, ut ait Pontifex, quòd quisque voce dilucidè contestatus est, eundem casum proprio suo testimonio infirmare, etique resistere. Tertia quoque conjectura est, ex qua possit probari filiatio, communis fama, & quæ præsertim domesticorum, consanguineorum, ac vicinorum, quòd talis sit communiter nominatus, vel habitus, ac tractatus ut filius, cui conjecturæ multum adminiculatur conjectura, quæ desumitur ex effigie & similitudine hominum cum alio, quæ quidem conjectura, si sola sit, nihil probat, & fallax est, si accedat alij præsumptioni in iure tractatæ, non omnino vana est.

§. VIII.

Quomodo probandi sint consuetudines seu limites locorum?

Per libros antiquos, testes, instrumenta &c. alia adminicula probari sine dubio potest. c. *Cum causam* 13. patet, Quamvis tamen libri & scripturæ antiquæ privatæ plerumque fidem semper non faciant, (nisi communitè à Maioribus nostris fides illis habeatur)

habita, aut in loco publico asserta, & repetere fuerint) tribuitur tamen his aliqua veneratio, & auctoritas probandi, & quidem fidem plenam faciunt in causis nulli præjudicantibus, aut ex qui præiudicii, ut quod Ecclesia sit consecrata, infans hic sit baptizatus &c. cum in talibus casibus nemo præsummi possit, quod fallere velit, & quod in talibus antiquis factis leuiore probationes sufficiant. Quamvis autem libri antiqui habeantur, quamvis aliqui velint, hominum memoriam debere eos excedere, alii 40. annos requirant, rectius tamen hoc prudenti Iudicis arbitrio relinquatur.

§. IX.

An, & qualiter fidem faciant, seu probent littere Episcopi, vel alterius Ordinarii Iudicis, & quomodo reprobari possint per Testes Instrumentum, tanquam falsum nomine Collegii seu Universitatis confectum?

AD primam quæstionem 2. Litteras tales fidem facere ad probandum aliquem excommunicatum, si non magnum exinde præiudicium alteri inferatur, & subscriptione illius aut sigillo munitæ sint, donec oppositum probeatur. *c. Post cessionem 7. h. t.* ob auctoritatem scilicet, & specialem ipsi debitam reverentiam.

Ad secundam quæstionem 2. quod singulæ personæ alicujus Collegii vel conventus possint sub juramento reprobare Instrumentum falso sigillo obsignatum, & confectum nomine Collegii seu Universitatis. *c. Tertio Loco s. h. t.* Sunt enim in tali casu singuli in favorem suæ Eccle-

siæ contestes, quod fieri potest, cum causa Collegii non sit principaliter causa singulorum, sed causa Universitatis.

§. X.

Quam vim probandi habeat narratio facti alicujus in Literis sedis Apostolica?

PLenè probare talem narrationem, si super illâ, gratis, aut intentio Papæ fundetur, & versentur in causis beneficiabilibus, aut spiritualibus graviter alteri non præjudicantibus ex *Clement. Literis. Vnica h. t.* patet. Quamvis enim regulariter narrationi tali alicujus inferioris non credatur, ob specialem tamen prærogativam Papæ & ob festigium tantæ dignitatis tali narrationi à Papa suis literis insertæ creditur, si tamen factum proprium narretur; si enim factum alienum narretur, super quo se fundet gratia, & intentio Papæ, plenam quidem fidem facit narratio talis, ita tamen, ut contra eam admittatur probatio. Si verò intentio Papæ super his, quæ in literis illis narrentur, non fundetur, tum nihil probant, ut patet ex *c. si Papa. 10. De privileg. in 6.*

§. XI.

De probationibus, & aliis actis Iudicii in scriptum redigendis; & de actis prioris Iudicii exhibendis aliis Iudicibus, ad quos causa pervenit.

Universa Iudicii acta ex mandato Iudicis conscribenda esse, ex *c. Quoniam contra 11. h. t.* patet, à Notario sci-